

REGI.

Cùm in REGIS reditum gratulatoriam Orationem Univerſitatis nomine & juſſu haberet CAROLUS LE BEAU, in ejuſdem Univerſitatis Collegio Graſſinæo Rhetorices Profeſſor, die tertiâ menſis Decembris, anno Domini 1744.

ODE.



ERGO furores contudit hoſtium,
Morbique victor jam LODOIX redit,
Et ſoſpes optatum gementi
Reſtituit populo parentem.

Suſpiriorum ſat dedimus; venit
Lauro decorus REX bonus, aureâ
Quem pace ſemper nos beantem
Pacis amor rapuit per arma.

898 Qui fulminantem mœnia ſenſerat;
Senſit benignum mox Batavus, trium
Ut oppidorum mole fractâ,
Suppliciter veniam popoſcit.

Non Ille cædis ſcilicet appetens
Inſana quærit prælia barbarus:
Vincit; ſed hoſtes vi ſubactos
Servat amans, animoſque vincit.

Educit alveo Legia nunc caput
Undaſque tanto REGE ſuperbior
Volvit tumentes, atque totis
Hunc Dominum velit eſſe ripis.

O vos ſub illo queis Duce contigit
Tentare Martem, ſcitis ut horridos
Audax per enſes ire, vitam
Sollicitus regeret Suorum.

Lecto jacentes viſere ſedulus,
Arti medentum quidquid ineſt opis,
Curat parari, recreatque
Alloquio facili dolores.

Ardore quanto Gallica pectora
Inflammat almi PRINCIPIS indoles?
Non foſſa, non turres morantur;
Præcipitant medios per ignes.

Ite, ite fortes : Auſtriacus minax
In ſe retortos lugeat impetus;
Volate quo REX cunque ducit :
Alſatiæ miſeros tumultus
Auditis? agros prædo perambulat
Infenſus ... at vos quis ligat inſolens
Torpor? quid ad laudem ruentes
Exanimat, tenuitque curſum?
Proh fata! nobis præſidium breve
Ergo perires, MAXIME REX? iter
Abrumpit heu! morbus, nec ullam
Spem ſuper attonitis relinquit.
Quam multa Gallis funera duceret
Mors una? diram, ſumme Deus, potes,
Averte peſtem; jam caducum
Suſtineant pia vota fulmen.
Audis precantes : tetra lues fugit,
Diſcitque ſanguis lambere lenior
Venas, & antiquam per artus
Ire jubet nova vis ſalutem.
Poſt tot labores ecce datur frui
Vultu beato! mœnia REX ſubit,
Magnique Victorem Friburgi
In Patriam revehit Triumphus.

900.

Denſant euntem, quos alit Urbium
Regina, Cives. Blandus ut aſpicit!
Ut vota plaudentum viciſſim
Voce refert! POPULUSQUE VIVAT.
Vivemus & nos, OPTIME PRINCIPUM:
Seu Bella tractet, ſeu vacet Artibus
Pacis, vigebit Te valente
Incolumis, LODOICE, Gallus.

JOANNES QUERVELLE, Humanitatis Profeſſor, in Sorbonæ-Pleſſæo.

Cum Permiſſu. Die 28 *Novembris, anno* 1744. FEYDEAU DE MARVILLE.

Ex Typographiâ THIBOUST, REGIS Typographi, in Plateâ Cameracenſi.